Programm

des

Königl. Gymnasiums zu Chemnitz,

durch welches zugleich

zu dem Valedictionsactus am 22. März

sowie

zu den öffentlichen Klassenprüfungen am 27. und 28. März

im Namen des Lehrercollegiums

ergebenst einladet

Prof. Dr. **Martin Wohlrab,**
Rector.

Hierzu als Beigabe:

Kurt Bernhardi, de tones in mediis syncopatis usu Aeschyleo.

Chemnitz.
Druck von J. C. F. Pickenhahn & Sohn.
1879.

1879. Progr.-Nr. 434.

Constantius Fund

De tones in mediis syncopatis usu Aeschyleo.

I.

Polysemorum doctrina e reliquiis veterum rhythmicorum eruta rei metricae periti in spem adducti sunt tandem aliquando etiam difficiliora Graecorum cantica ad concinnam numerorum aequabilitatem revocari posse. Quidquid enim Bentlejus et Porsonus sagacissimi praeter Hermannum recentioris aetatis metrici in sua arte elaboraverunt fere ad explananda metra κατὰ στίχον repetita vel describenda lucidiora mele pertinebat. Hermannus vero ipse qui poetarum usu ex omnibus partibus diligentissime pertemptato variisque et suis ipsius et aliorum observationibus in disciplinam sibi congruam consociatis plurimum lucis versibus et recitandis et cantandis attulit, instaurator ille quidem metricae artis haud dubie merito appellatur. Sed quamvis ad mensuram syllabarum quid discriminis inter recitationem et cantum intercederet metricorum principi minime obscurum fuerit [1]), tamen cum etiam in lyricis carminibus constituendis posthabita rhythmicorum doctrina depravatam metricorum veterum rationem secutus esset ideoque solas unius et duarum morarum syllabas agnosceret, in systematis quae constant disparibus pedibus quorumve rhythmus omissis singulis pedum partibus intermissus esse videtur [2]), fieri non potuit quin minus bene numerorum concinnitatem perspiceret. Apelus primus eo consilio, ut Graecorum metra ad hodiernae musicae aequabilitatem formaret, in metiendis versibus syllabas longiores longis et brevibus breviores adhibuit. Cujus ars cum propriis tantum conditoris ipsius conjecturis niteretur certiora novae metiendi rationis fundamenta jacere Boeckhius Feusznerus Westphalus ceteri studebant, quicunque explicandis Graecorum rhythmicorum praeceptis operam dabant. Atque plurimum quidem ad labefactandam doctrinam tralaticiam illud repertum valuit, quo cognitum est polysemam mensuram et notam fuisse veteribus musicae doctoribus et ab eis ad constituenda metra adhibitam. Neque jam hodie multi sunt, qui novam metiendi viam prorsus repudiantes quomodo pedum aut versuum numeri inter se cohaereant nihil curent acquiescantque in singulorum pedum descriptione: quorum artem non ita immerito Henricus Schmidt [3]) carpsit, cum demonstraret talem in pedes divisionem etiam solutam cujusvis scriptoris orationem admittere.

At quoniam rhythmici veteres qui quidem ad nostram aetatem pervenerint quam late apud poetas usus polysemorum patuerit quibusve in generibus versuum statuendus sit silentio praetereunt, inter ipsos novae doctrinae studiosos summa discrepantia in circumscribendis hujus usus finibus orta est. Alii enim vestigia expressa a Westphalo in altera ejus libri quem de re metrica Graecorum scripsit editione secuti polysemis largius accitis veterum cantica ad aequalitatem recentioris musicae adigere student.

---

1) Elementa d. m. pagg. 18 et 660 sq.

2) Quod utrumque genus asynartetorum nomine veteres comprehendisse Caesar demonstravit in commentatione de versibus asynartetis conscripta.

3) Compositionslehre, pag. 6.

[illegible] argumentum exce- [illegible] exempla [illegible] anapaestica [illegible]

[illegible] polysema- [illegible]

[illegible] arsim syncopatus est. [illegible] syllabas ad [illegible] terminalis [illegible] trisema statui [illegible] carmina destinabat. [illegible] Alcaeus igitur in [illegible] etiamsi [illegible] carmina composuit post [illegible]

[illegible]

Μηδὲν ἄλλο φυτεύσῃς πρότερον δένδριον ἀμπέλω,

in quo versu canendo *φυτεύσῃς* vocabuli alteri syllabae tres morae tribuendae erant. Contra Horatius, quippe cujus carmina aut semper aut vulgo recitarentur, in eodem genere versuum inter tertiam et quartam arsim silentium inicere et ideo vocem eo loco finire debuit

Nullam Vare sacra vite prius severis arborem.

Neque quisquam probaverit Catulli hunc versum

Nec facta impia fallacum hominum caelicolis placent,

nisi sibi persuaserit vel cantoribus eum scriptum fuisse vel choriambicam admittere mensuram. Quantum quidem rigoris in illa pronuntiandi lege insit facile caesurae in elegiaco versu consuetudine perspicitur; nam cum ille vere hexameter dicatalectus esset, in choricis autem carminibus fere nullum locum haberet, tam constanter et Graeci et Latini poetae omissae tertiae theseos spatium silentio expleverunt, ut in tot milibus hujus versus exemplis nusquam eo loco vocabulum continuarent.

Sed in canticis quamquam per se poetis licuit suo arbitrio et silentium et tonen omissae thesi substituere, tamen in mediis versibus[1]) sive commatis eos silentio incessum numerorum interrupisse vix credibile est. Quare in enumerandis syncopes exemplis eam sequar normam, ut ubicunque in mediis pericoparum vel periodorum membris arsis arsim excipit sive continuato sive finito inter eas vocabulo syllabam prioris arseos tone productam esse sumam. In fine autem coli in arsim exeuntis quod alterum ab arsi incipiens praecedit, cum utrum pausa an longior syllaba agnoscenda sit perraro manifestis indiciis confirmari possit, equidem mensuram polysemam non statuam nisi ubi cola perpetuo vocabulo inter se cohaerent.

Persimiles dubitationes e difficultate rei natae me impediunt de productione paenultimae versuum trochaeo vel spondeo terminatorum syllabae quaestionem instituere. Neque enim quisquam est qui ignoret in hoc genere versuum frequenter simul ultimam et paenultimam syllabas arsium pondus habere, quae res cum ipsa rhythmica ratione commendatur tum in hymni ad Solem schemate musico quod ad nostram pervenit aetatem adscriptis notis confirmatur. Sed quibus in versibus talis mensura locum habeat inquirere vanae est operae, priusquam exploratum sit quales leges aequandi tactuum quos dicimus ambitus veteres musici sibi constituerint. In quam rem parum adhuc luminis metricorum curis missum esse inter omnes cautiores criticos constat.

Cetera autem syncopes exempla quotquot apud Aeschylum inveniuntur eo ordine disposita proponam, ut primum dicam de primi pedis tone, tum afferam jambicos trochaicos logaoedicos[2]) versus semel in ceteris pedibus syncopatos — anapaestos enim ionicis insertos quoniam de eorum mensura nihil constat omittere licet —, postremo versus et periodos pluribus syncopis mutila enumerem.

1) Versus hoc loco proprio sensu intellego eos ordines rhythmicos quibus pericopae quae dicuntur constant. Qua de re conferas quaeso quae Christius explicat in re metr. pagg. 131 sqq. At in sequentibus metricorum omnis aevi licentia abusus versuum nomine etiam commata sive cola, periodorum etiam pericopas comprehendam.

2) Dactylicorum syncopes certum exemplum in superstitibus Aeschyli fabulis non exstat. Nam quos versus Christius in re metr. pag. 231 affert, eorum alter Suppl. 45=52 *ἀνθονομούσας προγόνου βοὸς ἐξ ἐπιπνοίας*, cum qui antecedit aut logaoedicus aut choriambicus sit, etiam ipse talibus numeris constare videtur, alterum Sept. 322=334 (*Οἰκτρὸν γὰρ πόλιν ὧδ'*) *ὠγυγίαν Ἀΐδα προϊάψαι δορὸς ἄγραν* in tripodiam logaoedicam et dimetrum ionicum dividendum esse ambitus antecedentis coli atque vocabulorum in stropha et antistropha incisiones significant; nisi forte cum Dindorfio in hoc quoque choriambicam praefers mensuram. Dactylicam quidem in eo locum habere mihi persuadere non possum.

II.

Ac de primi quidem pedis tone quaerenti commemorandi sunt antispastici qui dicuntur versus, ei scilicet qui a jambo puro exordium sumentes trochaeo vel dactylo continuantur.

Tripodias id genus binas logaoedicas inter dochmios quorum rhythmi persimiles sunt Aeschylus posuit Sept. 892 sq. = 904 sq.

δι' ὧν αἰνομόροις
δι' ὧν νεῖκος ἔβα.

At qui versus Ag. 717=727 legitur initio systematis praemissus tetrapodiis logaoedicis

ἔθρεψεν δὲ λέοντα

quin tone paenultimae ad tetrapodiae amplitudinem etiam ipse producendus sit vix dubium est.

Plena tetrapodia jambica inter jambos exstat Sept. 767 = 773

βαρεῖαι καταλλαγαί.

E logaoedicis id genus tetrapodiis legitimos glyconeos a jambo orientes non est quod enumerem. Hypercatalectis autem qui putantur notandum est saepius ultimo systematum loco poetam usum esse ut Ag. 1487 = 1512 post versus jambicos

τί τῶνδ' οὐ θεόκραντόν ἐστιν;

Bini hujusmodi versus logaoedicam periodum claudunt Cho. 469 sq. = 474 sq., singuli dochmiacam Sept. 567=630, ionicam Cho. 331=362. Semel paenultimum locum hic versus tenet idque ante versum ejusdem ambitus sed qui ab arsi incohatur Cho. 384 = 398.

Inter versus dubiae mensurae legitur Suppl. 97 = 105

βίαν δ' οὔτιν' ἐξοπλίζει,

qui versus si tonen post secundam syllabam agnoscis pentapodia est, alioquin etiam pro tetrapodia accipi potest.

Plenae pentapodiae unum certum exemplum exstat Sept. 737 = 745

μελαμπαγὲς αἷμα φοίνιον.

Sed fortasse talis versus etiam statuendus est Sept. 330 = 342; 347 = 359; 888 = 900; Cho. 45 = 56.

In versu Prom. 695 qui vulgo sic editur

πέφρικ' εἰσιδοῦσα πρᾶξιν Ἰοῦς,

quia talis hexapodiae exemplum alio loco apud Aeschylum non exstat, ἐσιδοῦσα mihi videtur reponendum esse, quam vocis scripturam Mediceus exhibet.

Horum antispasticorum versuum de mensura maximae dubitationes a recentioribus motae sunt. Nam nihil hodie inter metricos constat in hoc genere versuum utrum basis quae dicitur Hermanniana a sequente ordine rhythmico distinguenda sit an Westphalo auctore secundae syllabae spatium trium

morarum attribuendum an per syncopen Brambachianam[1]) jambum pro trochaeo substitutum esse existimandum an Christio[2]) auctore hi versus in acephalorum numero habendi sint ut antispastus dipodiae trochaicae pondus habeat. Quae res cum ad illas subtiles et tanquam ultimas artis metricae quaestiones pertineat quas me omissurum supra pollicitus sum, equidem Aeschylea antispasticorum exempla non reddita mensurae ratione enumerasse satis habeo.

Ceterum trochaici versus in solo primo pede syncopati certum exemplum in Aeschyli tragoediis non inveni.

III.

Accedo ad versus in ceteris pedibus semel syncopatos. Ac primum quidem jambici numeri frequentissime tertia thesis omittitur in dimetris acatalectis et trimetris sive acatalectis sive catalecticis

τίς ἂν καθαρμὸν πόροι

τρίβῳ κατέξαινον ἄνθος Ἄργεος

λιπὼν ἂν εὔκλειαν ἐν δόμοισιν

Has versuum formas, quarum apud Aeschylum exempla plus centum quinquaginta exstant, cum neque ad rhythmum ita dissimiles esse videantur et saepissime a poeta inter se conexae sint conjunctim tractare commodum erit. Integra quidem systemata eis explentur Cho. 434 sqq. = 439 sqq.; Sept. 911 sqq. = 921 sqq.

τὸ πᾶν ἀτίμως ἔλεξας, οἴμοι.
πατρὸς δ' ἀτίμωσιν ἆρα τίσει
ἕκατι μὲν δαιμόνων
ἕκατι δ' ἁμᾶν χερῶν.
ἔπειτ' ἐγὼ νοσφίσας ὀλοίμαν.

σιδαρόπλακτοι μὲν ὧδ' ἔχουσιν,
σιδαρόπλακτοι δὲ τοὺς μένουσιν,
τάχ' ἄν τις εἴποι, τίνες;
τάφων πατρῴων λαχαί.

et trimetro duabus syncopis mutilo aut praemisso aut in fine addito Suppl. 698 sqq. = 704 sqq.; Cho. 623 sqq. = 631 sqq.

φυλάσσοι τ' ἀτρεμαῖα τιμὰς
τὸ δάμιον τὸ πτόλιν κρατύνει,
προμαθὲς εὐκοινόμητις ἀρχά·
ξένοισί τ' εὐξυμβόλους,
πρὶν ἐξοπλίζειν Ἄρη
δίκας ἄτερ πημάτων διδοῖεν.

1) Metr. Stud., pag. 40 sq.
2) Continuität, pag. 17.

κακῶν γε πρεσβεύεται τὸ Λήμνιον
λόγῳ· βοᾶται δ' ἀεὶ
τόθεν κατάπτυστον, ἤκασεν δέ τις
τὸ δ' αἰνὸν ἂν Λημνίοισι πήμασιν.
θεοστύγητον δ' ἀεὶ
βροτῶν ἀτιμωθὲν οἴχεται γένος.
σέβει γὰρ οὔτις τὸ δυσφιλὲς θεοῖς.
τί τῶνδ' οὐκ ἐνδίκως ἀγείρω;

Duo trimetri ejusdem formae intermissi versu qui videtur dochmius esse simile systema venusta concinnitate formatum exordiuntur Sept. 938 sqq. = 951 sqq.

ἰὼ πολλοῖς ἐπανθίσαντες
πόνοισι γενεάν·
τελευτᾷ δ' αἵδ' ἐπηλάλαξαν
'Αραὶ τὸν ὀξὺν νόμον,
τετραμμένου παντρόπῳ φυγᾷ γένους.
ἕστακεν Ἄτας τροπαῖον ἐν πύλαις,
ἐν αἷς ἐθείνοντο, καὶ
δυοῖν κρατήσας ἔληξε δαίμων.

Praeterea versus de quibus dicimus cum trimetris post primam et secundam arsim syncopatis sociati sunt etiam Ag. 196 sq. = 209 sq.; Cho. 348 sq. = 365 sq.; Sept. 999 sq.; 1002 sq.; bis eos trimetri post secundam et quartam arsim syncopati praecedunt Ag. 438 sqq. = 456 sqq.; 370 sqq. = 389 sqq.

Ubi talibus versibus singuli integris jambis constantes admixti sunt, hi ab illis includi solent ut Cho. 429 sqq. = 451 sqq.; Ag. 218 sqq. = 228 sqq.; Pers. 1002 sqq. = 1008 sqq. Aristophaneus interjectus est finem facientibus trimetro puro et versu ejusdem ambitus bis syncopato Ag. 1530 sqq. = 1560 sqq.

ἀμηχανῶ φροντίδος στερηθεὶς
εὐπαλάμων μεριμνᾶν,
ὅπα τράπωμαι, πίτνοντος οἴκου.
δέδοικα δ' ὄμβρου κτύπον δομοσφαλῆ
τὸν αἱματηρόν· ψακὰς δὲ λήγει.
δίκην δ' ἐπ' ἄλλο πρᾶγμα θηγάνει βλάβης
πρὸς ἄλλαις θηγάναισι Μοῖρα.

Quibus ex parte simillimi sunt versus Eum. 550—555 = 557—564. Nullo autem loco poetae ars magis elucet quam Ag. 475 sqq.; ibi enim puri versus diplasii generis inter dimetros et trimetros semel syncopatos mira quadam elegantia dispositi sunt

πυρὸς δ' ὑπ' εὐαγγέλου
πόλιν διήκει θοὰ
βάξις· εἰ δ' ἐτήτυμος,
τίς οἶδεν, ἤ τι θεῖόν ἐστι μὴ ψύθος;
τίς ὧδε παιδνὸς ἢ φρενῶν κεκομμένος
φλογὸς παραγγέλμασιν
νέοις πυρωθέντα καρδίαν ἔπειτ'
ἐν ἀλλαγᾷ λόγου καμεῖν;

γυναικὸς αἰχμᾷ πρέπει,
προ τοῦ φανέντος χάριν ξυναινέσαι.
πιθανὸς ἄγαν ὁ θῆλυς ὅρος ἐπινέμεται
ταχύπορος· ἀλλὰ ταχύμορον
γυναικογήρυτον ὄλλυται κλέος.

In stropha variis syncopis mutila tres deinceps trimetri semel syncopati binis integris versibus circumcluduntur Ag. 409 sqq. = 426 sqq. Totidem intermisso hiatu antecedunt dimetrum purum quem logaoedica clausula sequitur Cho. 456 sqq. = 461 sqq.

Bini trimetri hoc genus ante jambicum tetrametrum post mediam arsim syncopatum inveniuntur Ag. 192 sq. = 205 sq.; bini dimetri ante ejusdem generis versum Sept. 738 sq. = 746 sq.; ante breviorem syncopatum Eum. 383 sq. = 391 sq.; et dimeter cum trimetro post tetrametrum trochaicum semel syncopatum Cho. 407 sq. = 419 sq.; post jambicum bis syncopatum Ag. 242 sq. = 251 sq.

Singuli dimetri vel trimetri puris jambicis vel logaoedicis immixti sunt vel eos antecedunt Suppl. 779 = 787; Sept. 874 = 880; Ag. 414; 1450 = 1470; Suppl. 540 = 549; Sept. 933 = 946. Semel trimeter post puros jambos clausulae locum tenet Suppl. 594 = 599.

Cum tetrametro bis syncopato trimeter jugatus est Suppl. 1067 = 1073; Ag. 739 = 750; dimeter ib. 764 = 774; ante dubiae mensurae versum dimeter positus est Sept. 734 = 742.

Omittendum non est singulis dimetris semel syncopatis periodum monocolam nullo loco expleri, nisi forte versibus Pers. 1004 = 1009 personarum vice tantum ponderis praeberi putas. Trimeter pleni versus ambitum aequare videtur Ag. 410 cum et antecedat et sequatur eo loco hiatus

(τόδ' ἐννέποντες δόμων προφῆται·)
ἰὼ ἰὼ δῶμα δῶμα καὶ πρόμοι,
(ἰὼ λέχος καὶ στίβοι φιλάνορες.)

Sed interjectionum hiatus quoniam non tantum valet quantum ceterorum vocabulorum, de hoc quoque versu dubium est judicium.

Praeter has tres quas modo attuli formas jambicorum versuum in mediis pedibus semel syncopatorum Aeschylus tetrametro post quartam arsim mutilo sive acatalecto sive catalectico nonnunquam usus est

πόνοι δόμων νέοι παλαιοῖσι συμμιγεῖς κακοῖς

τὸ πᾶν Διὸς σέβας παρεκβάντας οὐ θεμιστῶς.

Tales versus in fine aut stropharum aut breviorum ordinum poeta posuit Sept. 740 = 749; Suppl. 795 = 804; Ag. 195 = 208; Cho. 642 = 649. Fortasse talis versus statuendus est etiam Suppl. 560 = 570

Τυφῶ μένος, γάνος τὸ Νείλου νόσοις ἄθικτον,

quamquam in utraque stropha levis sententiae incisio suadet ut primam dipodiam cum antecedente versu jungamus.

Has quatuor formas jambicorum in medio semel syncopatorum solas Aeschylus in superstitum fabularum canticis admisit. Neque vero meum potest esse vitiosarum formarum quae per libros pervagantur multitudinem afferre aut corrigere. Immo hanc mihi in refutandis vitiosis formis normam imposui ut quicunque versus aut in paucis tantummodo editionibus falso constituti sunt aut salva rhythmorum concinnitate levi discriptionis mutatione expediri possunt eos et hoc loco et in reliqua dissertationis parte silentio praeterirem.

Sed memorandum videtur Ag. 223 = 233 nonnullas editiones trimetrum post tertiam arsim syncopatum exhibere

τάλαινα παρακοπὰ πρωτοπήμων.

Quem versum Westphalus [1]) et Henricus Schmidt [2]) πρωτοπήμων vocabulo cum sequentibus conjuncto correxerunt; et Schmidtius quidem totum locum omnibus discriptionis generibus ab editoribus tentatum unus recte videtur sic constituisse

βροτοὺς θρασύνει γὰρ αἰσχρόμητις
τάλαινα παρακοπὰ
πρωτοπήμων· ἔτλα δ' οὖν θυτὴρ
γενέσθαι θυγατρός,
γυναικοποίνων πολέμων ἀρωγάν,
καὶ προτέλεια ναῶν.

Cho. 624 = 632 vitiosam editionum pentapodiam

λόγῳ· βοᾶται δ' ἀεὶ τόθεν

quomodo removendam esse putarem supra indicavi ubi integrum systema exscripsi. Quamquam non omittendum est antithetum versum

πόθῳ ἀκαίρως δὲ δυσφιλές

eam quam probavi numerorum constitutionem dissuadere. Et potest quidem conici pentapodiam cum sequentibus conjungendam esse ut fiat decapodia post secundam et sextam arsim syncopata, qualem versum fortasse admisit poeta Suppl. 156 = 170

τὸν τᾶς βοὸς παῖδ' ἀτιμάσας, τὸν αὐτός ποτ' ἔκτισεν γόνῳ.

Sed cum tanti ambitus versu minoribus immixto concinnitas membrorum paululum turbetur mihi potius δυσφιλές vocis prior pars ad antecedentem altera ad sequentem versum adicienda esse videtur. Constat enim finem partis compositorum idem haud raro pondus habere atque finem totius vocabuli.

Versus Pers. 638 (= 645)

παντάλαν' ἄχη διαβοάσω

qui nonnullis pentapodia jambica post secundam arsim syncopata esse videbatur, verum est trochaicum colon.

In versu Sept. 837 = 846

νεκροὺς ἔκλαυσα δυσμόρως θανόντας· ἦ δύσορνις ἅδε ξυναυλία δορός

offendit quod vox logicae ut ita dicam gravitatis plane expers locum syncopes tenet: Deterrimus enim auribusque minime jucundus ejusmodi versus videtur in quo vocabula quae ad sententiam parum valeant majore vocis contentione premenda sint. Quare rhythmica ratio vetat inter syllabas singulorum et binum temporum leviorum vocabulorum syllabam tone produci. Quod veteres poetas non neglexisse cum per se probabile est, tum primus quantum video Christius [3]) dissertis verbis se observasse docuit. Atque

1) Metr. II., pag. 825.
2) Eurhythmie, pag. 157.
3) Sitzungsberichte d. bayer. Academie d. Wissensch. 1869, pagg. 443 sqq.

Aeschylum quidem video diligentissime id egisse ut graviora vocabula in tones sede poneret. Quod si in versibus semel syncopatis quinquies si bene observavi (Ag. 194, 228, 391, 428, Cho. 408) καί voculam eo loco admisit, hac licentia mihi quidem summam legis non rescidisse videtur. Nam in talibus versibus

τρίβῳ τε καὶ προσβολαῖς

quamquam ut supra indicavi nego post καί unius integrae morae pausam statuendam esse ut καί vox ipsa duorum tantum temporum mensuram expleat, tamen consentaneum est inter καί et sequentis vocabuli pronuntiationem aliquid silentii necessario intercessisse atque hoc quamvis parvulo spatio tones gravitatem paullum imminutam esse. Idem judicandum est de versu Suppl. 599

σπεῦσαί τι τῶν βούλιος φέρει φρήν

quippe in quo pronomen relativum syncopes sedem obtineat. Medias autem aut primas leviorum vocabulorum syllabas quater nisi fallor Aeschylus tone produxit: Cho. 439 (ἅπερ), Pers. 1007 (οἷον), Eum. 515 (ἐπειδή), Suppl. 782 (ἅτερθε). Atqui tam exigua exemplorum paucitate versum de quo dicimus firmare vix poteris. In quo eo molestior ἅδε vocis tone est, quo pluribus integris pedibus circumdatur: nam apparet tonen plus ponderis habere in longioribus quam in brevibus versibus atque plus inter integros pedes quam inter eos qui et ipsi syncope mutili sint. Quae cum ita sint cumque tam longi versus semel syncopati apud Aeschylum alterum exemplum non exstet dividendus mihi ille de quo dicimus versus videtur in tetrametrum catalecticum et clausulam tetrapodicam; cui divisioni etiam antitheta verba obtemperant, quae sunt haec:

ἰὼ πολύστονοι, τόδ' εἰργάσασθ' ἄπιστον· ἦλθε δ' αἰακτὰ πήματ' οὐ λόγῳ.

Ceterum non praetermittendum est occurrere in dochmiacis systematis raros versus qui si syllabas numeras et metiris eorum quos legitimos esse contendi versuum jambicorum in medio syncopatorum pares esse videantur. Quos cur inter legitimos non enumeraverim jam ratio proponenda est. In diplasii et logaoedici generis canticis ubicunque syncopati versus occurrunt ita compositi sunt, ut arsis quae omissae theseos sedem antecedit semper una longa syllaba exprimeretur. Cujus rei causa non obscura est. Nam quoniam illa syllaba simul arseos et theseos munere fungitur ideoque trium temporum mensuram aequat, si in duas breves solveretur unius morae spatium in tenore numerorum deesset. Itaque constanti lege factum est ut nunquam duae breves in syllabae tone productae locum substituerentur. At in dochmiacis tamen systematis ut apud ceteros poetas [1]) sic apud Aeschylum versus hujus formae inveniuntur

ἰὼ μάκαρες εὔεδροι

Πάριδος ὀλέθριοι φίλων.

Quos versus Christius quidem loco laudato non jambicos syncopatos sed dochmios cum jambis jugatos esse suspicatus est. Sed doctissimus vir quo est judicio considerato rem certissimam nimium scrupulis vexavisse mihi videtur cum versibus ad syllabarum numerum et spatium paribus diversam mensuram adjudicare dubitaret. Nam accedit altera ratio ex ipsius rhythmi natura petita qua vetamur tales versus in syncopatorum numero habere. Solutionem enim Aeschylus in diplasiis et logaoedicis non solum trisemae arseos non admisit sed ne ejus quidem quae trisemam sequitur aut ejus quae eam antecedit. Quod cur ita instituerit ratio manifesta est, quamquam et res ipsa et rei ratio quantum video rei

1) Christ, Metr. pag. 473.

metricae peritos effugit: nisi quod similem incongruentiam numerorum atque ea est de qua dicturus sum Dindorfius in hoc trimetro deprehendisse sibi videtur:

ὦ χρυσοπήληξ δαῖμον ἔπιδ' ἔπιδε πόλιν

ad quem haec adnotat [1]): ‚qualem trimetrum nunquam fecit Aeschylus quod facile sentiet qui reliquos carminum melicorum Aeschyli senarios cum hoc comparare volet, in quo a plumbeo initio duorum spondeorum qui in primo tertioque pede positi sunt, transitus fit ad volubiles tribrachos duo. Quae perversitas tollitur c. q. s.' Perspexit igitur vir doctissimus ineptum esse alteram cujusvis versus partem ita formare ut numeri tarde procederent alteram ita ut velociter properarent. Rectissime quidem. Nam cum haec potissima lex cujusque versuum generis sit ut certum quendam et secum inde ab initio usque ad finem congruum rhythmum obtineant, parum speciosum versum esse judicabimus cujus partes nimis diversa vi atque effectu numerorum incedere videantur. Atque etiam magis quam tribrachorum in versu quem Dindorfius improbavit cum spondeis conjunctio in syncopatis illam congruentiae legem solutiones cum syllabis tone productis consociatae migrant. Apparet enim syllabis trisemis numerorum incessum magis tardum et impeditum fieri quam spondeis ideoque easdem longius abesse a tribrachorum volubilitate. Quare putaverim quo quis studiosior concinnitatis esset poeta eo cautius eum solutiones pedum syncopes sedi vicinorum vitavisse. Cui rei quantum diligentiae ceteri poetae navaverint nunc non curo. At Aeschylus ad eam elegantiam progressus est, ut in dimetris et trimetris syncopatis sive diplasii sive logaoedici generis non solum eas arses quae proximae sunt trium morarum syllabis sed ne ceteras quidem unquam solveret. In tetrametris autem syncopatis primae solius arseos solutionem nonnunquam admisit: cujus licentiae omnia quae exstant exempla exscribo ut appareat ea singulari quadam excusatione defendi (Cho. 407 = 419; Eum. 359 = 371; 497 = 506; Ag. 780 = 780; Cho. 793 (= 830).

(ἴδετε πολυκρατεῖς ἀραὶ)
φθινομένων, ἴδεσθ' Ἀτρειδᾶν τὰ λοίπ' ἀμηχάνως

(μάλα γὰρ οὖν ἁλομένα
ἀνέκαθεν βαρυπεσῆ
καταφέρω ποδὸς ἀκμάν)
σφαλερὰ γὰρ τανυδρόμοις κῶλα δύσφορον μάταν.

(πολλὰ δ' ἔτυμα παιδότρωτα)
πάθεα προσμένει τοκεῦσιν μεταῦθις ἐν χρόνῳ,

(ὄμμασι λιποῦσ' ὅσια προσεβάλετο)
δύναμιν οὐ σέβουσα πλούτου παράσημον αἴνῳ.

(τον ἔσωθεν μελάθρων Ζεῦ
θές, ἐπεί νιν μέγαν ἄρας)
δίδυμα καὶ τριπλᾶ παλίμποινα θέλων ἀμείψει.

Cum omnibus his antithetorum versuum metra accurate conveniunt praeter extremum versum cujus antistrophus graviore corruptela laborat. In Eumenidum versu priore libri exhibent σφαλερὰ τανυδρόμοις κῶλα δύσφορον ἄταν. Weilius ut metro mederetur ante κῶλα vocabulum inseruit ὅμως. Quod quamquam per se non improbandum est tamen duplex solutio audacius est constituta cum Aeschylo nusquam alibi placuerit syncopatorum tetrametrorum secundam arsim solvere. Accedit quod etiam antithetus versus

1) Praef. ad Aesch. edit. Teubn. pag. XL.

quamquam ne de ejus quidem scriptura satis constat, secundo loco trochaeum videtur habere. Quare Hermanni et Dindorfii scripturam probavi inicientium *γάρ* post *σφαλερά*. — Jam manifestum est his omnibus quos attuli locis solutiones primi pedis ex antecedentium versuum rhythmo aliquid excusationis assumere. Nam cum in his aut solutiones aut pedes suapte natura volubiles — paeonici in secundo ionici in quinto tetrametro — obtineant, minus offendit quod etiam in prima sequentis versus sede illa rhythmi velocitas servatur et ceteri demum pedes in tardiores numeros desinunt. Quamobrem quoniam statuimus in diplasii et logaoedici generis dimetris aut trimetris syncopatis Aeschylum solutiones nunquam, in tetrametris solam primi pedis solutionem eamque nonnisi çertis condicionibus admisisse, cum in dochmiacis periodis tales inveniantur versus

φόνου στάσις δ' ἀκόρετος γένει

τρέμω δ' αἱματηφόρους μόρους ὑπὲρ φίλων ὀλομένων ἰδέσθαι,

non dubitabimus omnes id genus versus ubi inter dochmios exstant ita metiri ut constent dochmiis et ordinibus jambicis.

IV.

Sequitur ut dicam de trochaicis versibus in medio semel syncopatis. Ac dimetri quidem hujus formae neque acatalecti neque catalectici apud Aeschylum exstant. De viginti nempe exemplis catalecticae formae quae Westphalus affert [1]), ne unum quidem recte allatum est: alia enim cum sequente versu vocabulis continuatis cohaerent, alia creticis immixta etiam ipsa creticam mensuram commendant, alia corruptelis laborant. Versum Cho. 836

ἔνδοθεν φοινίαν

Schoemannus correxit *τέ* inserens. [2]) — Ubi inter dochmios hujus formae versus inveniuntur haud dubie cretica mensura adhibenda est (Sept. 206=213).

Quare brevissimus hujus generis versus videtur exstare Ag. 415=432

S. *φάσμα δόξει δόμων ἀνάσσειν*

A. *πολλὰ γοῦν θιγγάνει πρὸς ἧπαρ.*

Cum clausula logaoedica sequeretur et in priore versu praesens tempus desideraretur Weilius *δοκεῖ* in strophae versum recepit et in antistropha *γοῦν* in *δέ* mutavit. Quamquam concedendum est ita rhythmum versuum magis concinere cum antecedentibus et sequentibus strophis quibuscum etiam aliae similitudines eis intercedunt, tamen necessaria illa mutatio non est. At tenendum si salvi sunt versus quales in libris leguntur eos producta paenultima ad amplitudinem trimetrorum extendendos esse. Quae productio cum praesertim in fine longiorum ordinum locum habeat in his versibus minime offensioni est,

---

1) Metr. II., pag. 363.
2) In Fleckeiseni Ann. 1877, pag. 98.

qui non solum vice numerorum sed etiam graviore interpunctione a sequentibus distincti sint. Ceterum ejusdem ambitus versum trochaicum sine media syncope habes Ag. 977 = 990.

Pleniore forma trimetri catalectici post primam dipodiam syncopati quater usus est Aeschylus in superstitibus tragoediis. Qualis versus legitur Suppl. 161 = 174 ancipiti syllaba separatus et a praecedente dimetro trochaico et a sequente ordine anapaestico

ὑψόθεν δ' εὖ κλύοι καλούμενος.

Nec minus Eum. 511 = 520 talis versus per se stare videtur inter puros trochaeos. In eadem fabula hic versus 916 = 938

δενδροπήμων δὲ μὴ πνέοι βλάβα

incohat trochaicum systema. In fine systematis positus est talis trimeter Ag. 1454 = 1474.

Latius patet apud Aeschylum usus tetrametri catalectici in fine secundae dipodiae syncopati. Quem versum sicut jambicum ejusdem formae tetrametrum clausulae potissimum loco in exitu systematum vel breviorum ordinum adhibuit. Hoc munere versus fungitur post versus diplasii logaoedici cretici generis Eum. 359 = 371; 333 = 345; 497 = 506; 515 = 525; Ag. 164 = 171, cum duobus pherecrateis conjunctus Pers. 554 = 564. Initio systematis trochaici positus est Ag. 176 = 184; 681 = 699; sequente pherecrateo sed ab eo per ancipitem syllabam separatus Suppl. 1064 = 1070. Medius versibus diplasii generis insertus est Cho. 407 = 419; Suppl. 796 = 805; et dochmiaci Eum. 783 = 813. Denique tres hoc genus tetrametri cum hexapodia logaoedica totum systema explent Eum. 997 sqq. = 1014 sqq.

χαίρετε χαίρετε δ' αὖθις, ἔπη διπλοίζω;
πάντες οἱ κατὰ πτόλιν, δαίμονές τε καὶ βροτοί,
Παλλάδος πόλιν νέμοντες· μετοικίαν δ' ἐμὴν
εὖ σέβοντες οὔτι μέμψεσθε συμφορὰς βίου.

Sed valde offendit Suppl. 799 (= 806) tetrameter acatalectus

πρὶν δαΐκτορος βίᾳ καρδίας γάμου κυρῆσαι.

Nam hic versus solus in tanta diplasii generis syncopatorum copia apud Aeschylum dipodicam mensuram nullo modo admittit. Neque enim quisquam sibi persuadebit in fine systematis talem tetrametrum aliter cani potuisse quam paenultima ad trium morarum spatium producta ut exsisteret versus novem pedum. Accedit quod ne expers quidem syncopes acatalectus tetrameter trochaicus unquam a tragicis Graecis usurpatus est. Itaque parum proficeremus si cum Hermanno μέ post βίᾳ vocem insereremus. Sed nescio an pro κυρῆσαι ponendum sit κυρεῖν. Nam in jambum versum desiisse antitheta verba quamvis ceteroquin corrupta illa quidem significare videntur qualia Mediceus exhibet: τίν' ἀμφ' αὐτᾶς ἔτι πόρον τέμνω γάμου καὶ λυτήρια. At si quis vereatur solius metri causa tralaticia verba mutare eum post βίᾳ finem versus statuere oportet. Quamquam cum etiam dimetro acatalecto trochaico Aeschylus rarissime usus sit, tali discriptione non perfecta medela versui comparatur.

Septem igitur legitimae formae versuum diplasii generis in medio semel syncopatorum apud Aeschylum occurrunt. E quibus sunt acatalecti jambici dimetri post priorem dipodiam syncopati, catalectici sunt trochaici trimetri post primam, tetrametri post secundam dipodiam syncopati, denique et acatalecti et catalectici jambici trimetri post primam, tetrametri post secundam dipodiam syncopati.

V.

Logaoedicis quippe quorum rhythmi fugacius currant polysemorum tarditas minus apta est quam versibus diplasii generis. At formarum varietate paullo hos superant. Quarum in enumeratione hanc viam ingrediar ut primum dicam de versibus qui in sola ea parte quae sequitur syncopen dactylos admittunt, deinde de eis, qui eos pedes vel in sola priore vel in utraque parte habent. Atque prioris generis exempla talia quae legitimorum diplasii generis syncopatorum simillima sint apud poetam exstant haec: Suppl. 524 = 531; Pers. 1017 = 1030; 1016 = 1029; Suppl. 141 = 151; Cho. 793 (= 830); Eum. 322 = 334

ἄναξ ἀνάκτων μακάρων

ὁρᾷς τὸ λοιπὸν τόδε τᾶς ἐμᾶς στολᾶς

τραπέντα ναύφρακτον ἐρεῖς ὅμιλον

σπέρμα σεμνᾶς μέγα ματρὸς εὐνάς

δίδυμα καὶ τριπλᾶ παλίμποινα θέλων ἀμείψει

τοῦτο γὰρ λάχος διανταία Μοῖρ' ἐπέκλωσεν

Similia sunt Cho. 52 (= 64); Suppl. 528 = 535; 782 = 791; Ag. 141; 770 = 780; fortasse etiam Pers. 1018 = 1031; Sept. 302 = 320; 1004 = 1011. Notandum est dimetri trochaici catalectici cum pherecrateo conjunctioni trochaicam formam nullam accurate respondere: nam tetrametri trochaici eodem loco syncopati omnes in jambum desinunt. Quod si inter formas diplasii generis similes hunc logaoedicum versum enumeravi, eo motus sum quod opinor syncope finali ei vim legitimi tetrametri attributam esse.

In ionicis systematis nonnunquam dipodia jambica ante ordinem logaoedicum a dactylo incipientem videtur posita esse ut Prom. 128 = 144

μηδὲν φοβηθῇς· φιλία γὰρ ἥδε τάξις.

Haec verba jam Hermannus[1]) uno versu conjunxit quem antiqui scholii auctoritate nisus anacreonteum appellavit. Et Christius quidem, cum olim[2]) ita eorum metra constitui jussisset ut tripodia catalectica ante refractos ionicos proodici munere fungeretur, nuper[3]) in numero praecisorum quos acephalos vocat versuum haberi maluit. Utra metiendi ratio verior sit quamquam pro certo affirmare non audeo, tamen cum in nonnullis ejusdem generis versibus post quintam syllabam clausula vocis non incidat, id quod impedit quominus illa tripodia perfectum colon putetur, illa recentior viri doctissimi opinio mihi magis probatur. Idem cadit in hos versus: Prom. 133 = 149; 398 = 406. Fortasse etiam Prom. 131 = 147 talis mensura statuenda est in hoc versu systematis ionici ejusdem, ex quo priores illos versus attuli,

πέτρᾳ προσαναινόμενον ταῖσδ' ἀδαμαντοδέτοισι λύμαις

1) Elem. d. m., pag. 493.
2) Metr., pag. 516.
3) Contin., pag. 19.

et Sept. 720 = 727 in versu qui initio systematis ionici positus est

ξένος δὲ κλήρους ἐπινωμᾷ Χάλυβος Σκυθῶν ἄποικος,

qui versus a prioribus eo differunt quod praecisos pedes non anaclomeni ionici excipiunt sed intermissi sunt singuli puri ionici.

Haud ita dissimiles sunt versus in parodo Agamemnonis 109 = 126; 116 = 132

S. *ὅπως Ἀχαιῶν δίθρονον κράτος Ἑλλάδος ἥβας —*
A. *χρόνῳ μὲν ἀγρεῖ Πριάμου πόλιν ἅδε κέλευθος*

S. *φανέντες ἴκταρ μελάθρων χερὸς ἐκ δοριπάλτου —*
A. *στρατωθέν· οἴκῳ γὰρ ἐπίφθονος Ἄρτεμις ἁγνά.*

Nam in his quoque cum post quintas syllabas vocabula terminentur facile quis coniciat tripodiam catalecticam a sequente ordine separandam esse. Eandem divisionem suadent versus ejusdem formae ei quos Aristophanes in Ranis 1264 sqq. Euripidem ex Aeschyli tragoediis afferentem facit.

Φθιῶτ' Ἀχιλλεῦ τί ποτ' ἀνδροδάικτον ἀκούων —
κύδιστ' Ἀχαιῶν Ἀτρέως πολυκοίρανε μάνθανέ μου παῖ —
κυρεῖν παρασχὼν ἰταμαῖς κυσὶν ἀεροφοίτοις.

At cum in parodo Agamemnonis ceteri omnes versus e dactylo incohentur apparet paullum nos membrorum concinnitatem turbaturos esse si versus ab anapaesto incipientes insereremus. Accedit vero altera causa multo gravior qua prohibemur tripodicum colon a sequente ordine distinguere. Nam Ranarum loco laudato Euripides cum propter id ipsum genus versuum Aeschylum cum *ἱμονιοστρόφῳ* compararet, restione nimirum qui longos funes quales sunt puteales necteret, quid aliud dicere voluit nisi tales versus sibi nimis longos videri? Quae cum ita sint nobis minime licet in breviora cola illos versus dividere. Malim igitur Christio assentiri qui censet ob eam causam Aeschylum post primam dipodiam vocabula non terminasse ut jambica pars versus cum dactylico artius cohaereret. Utrum autem illis jambis dipodicae basis Hermannianae pondus tribuendum sit an arsis ternaria statuenda in medio relinquo.

Etiam difficilius est judicium de ejusdem fabulae versu 245 = 256

φίλου τριτόσπονδον εὔποτμον παιᾶνα φίλως ἐτίμα.

Hunc versum deterrimo rhythmo incedere auribus meis crederem, si modo in dijudicandis veterum metris auribus quippe quae recentiorum versuum numeris nimis assuetae sint fides est habenda. At in promptu est argumentis hunc versum suspectum reddere. Primum enim offendit quod ejus numeri dipodicae mensurae nullo modo aptari possunt. Thesi enim post alterum jambum suppleta versus fiet tetrameter hypercatalectus. Concedendum quidem est non aeque in logaoedicis atque in diplasii generis versibus poetas dipodicae mensurae operam dedisse. Nam cum in dactylicis carminibus antiquitus monopodica mensura tralaticia fuisset in trochaicis et jambicis dipodica, ubicunque diplasii generis pedes cum dactylis jugandi erant utralibet ratione suo arbitrio poetae versum metiri poterant. Attamen Aeschylus cum maxime ubi syncopen adhibuit non solum totius versus ambitum sed etiam singulas partes syncope distinctas constanter ita formaverit ut dipodicam mensuram admitterent, cavendum est ne hunc poetam in logaoedicis id genus versibus monopodicam praetulisse temere putemus. Accedit quod idem versus singulis syncopis mutilos in partes supparis magnitudinis dissecare solebat. In dimetris enim et tetrametris eum nullam aliam quam mediam thesim omisisse vidimus, ut cola quae syncopen antecedunt ejusdem fierent ambitus atque ea quae sequuntur; trimetros autem quod post secundum pedem syncope imminuere

1) Metr., pag. 238.

maluit, haud dubie ob eam causam ita instituit ne syncope post tertiam arsim posita evaderent cola tripodica. In Agamemnonis autem versu de quo dicimus tanta intercedit inter cola magnitudinis diversitas ut alterum sit duorum alterum septem pedum: quod ferendum non esse videtur. Itaque nescio an alia quaerenda sit metrorum constitutio. Quod si post εὔποτμον et in antistropha post Ἀπίας versum finiremus non meliores evasuros esse numeros apparet. Nam si φίλον et θέλω voces cum Hermanno antecedenti versui adiceremus illius numeri claudicarent, sin cum Dindorfio nostro versui servaremus hic fieret jambica pentapodia post secundam arsim syncopata, cujus formae exemplum inter diplasii generis versus apud Aeschylum non exstat. In Mediceo autem cum scriptum sit εὔποτμον αἰῶνα cumque creticus versus antecedat, mihi videtur hac recepta optimi codicis scriptura versus ita metiendus esse ut etiam ipse creticis numeris incedat; quamquam confiteor quomodo antithetus versus huic mensurae aptari possit mihi nunc non praesto esse.

In versu Cho. 382=396

Ζεῦ Ζεῦ κάτωθεν ἀμπέμπων ὑστερόποινον ἄταν

quia versus post tertiam arsim syncopatus ferri non posse videtur, ὁ πέμπων Hartungo auctore scribendum et his vocibus colon terminandum esse affirmare non dubito. Rectissime enim vir doctissimus contendit in antistrophae versu qui est hic

φεῦ φεῦ κάρανα δαΐξαι πιστὰ γένοιτο χώρᾳ

falso a recentioribus editoribus δαΐξαι vocem pro molosso acceptam esse. Neque debuerat Hermannus ut talem mensuram in tragico versu defenderet ad Iliadis epici carminis usum provocare, cum Aeschylus constanter illius vocis primam syllabam corripuisset (Ag. 207; Suppl. 680; 798).

In Promethei fabulae versu 164=184

γένναν, οὐδὲ λήξει, πρὶν ἂν ἢ κορέσῃ κέαρ ἢ παλάμᾳ

ithyphallicus ab anapaestis separandus est.

Sequitur ut exempla afferam eorum logaoedicorum, qui aut in sola priore quae syncopae praecedit aut in utraque parte dactylos habent. Cujus formae tetrapodia syncopata exstare videtur Sept. 324=336

ὑπ' ἀνδρὸς Ἀχαιοῦ θεόθεν

Sed cum hic versus choriambico systemati insertus sit fortasse probanda est Hermanni sententia, qui eum choriambicum anacrusi auctum esse judicavit.[1])

Hexapodia catalectica ejusdem formae post puros logaoedicos invenitur Eum. 535

ἐκ δ' ὑγιείας φρενῶν ὁ πάμφιλος

et Sept. 301=319 παντὶ τρόπῳ Διογενεῖς θεοὶ πόλιν. Ubicunque talis versus una syllaba brevior est ita eum cantari oportebat, ut tone paenultimae ad hexapodiae amplitudinem protraheretur. Quo versuum genere Aeschylus pro clausula usus est post jambos syncopatos Suppl. 375=386; Pers. 1007=1013

δυσπαράθελκτος παθόντος οἴκτοις

Post logaoedicos integros hic versus positus est Sept. 784=791; choriambicum ordinem claudit Sept. 326=338. Mediis autem choriambicis ejusdem ambitus versus immixtus est Suppl. 86=91

1) Elem., pag. 432.

Διὸς ἵμερος οὐκ εὐθήρατος ἐτύχθη

nisi forte in eo anapaestica dipodia per se colon explere judicanda est.

Tetrametri trochaici post quartam arsim syncopati simillima est et binorum glyconeorum et glyconei cum pherecrateo copulatio. At prioris generis versuum unum tantum exemplum exstat inter trochaeos, sed ab his hiatu et syllaba ancipiti separatum Pers. 636 = 642

ἱέντος τὰ παναίολ' αἰανῆ δύσθροα βάγματα.

Saepius altero genere logaoedicae octapodiae poeta usus est. Inter quos versus et trochaicos tetrametros in medio syncopatos id quoque similitudinis intercedit, quod utrique saepe extremam systematum vel breviorum ordinum rhythmicorum sedem obtinent. Atque post dimetros trochaicos priapeus de quo dicimus positus est Prom. 418 = 423

ἔσχατον τόπον ἀμφὶ Μαιῶτιν ἔχουσι λίμναν.

Qui locus propterea quoque notandus est, quod praeter eum nullum aliud exemplum versus in medio syncopati in tota Prometheo fabula exstat. Nam versus 575 = 593 cretico et dochmio haud dubie constat. Cetera autem quaecunque in hac fabula tones exempla inveniuntur editorum conjecturis illata sunt.

Post versus ejusdem generis glyconeus cum pherecrateo invenitur sed ab eis ancipiti syllaba separatus Ag. 725 = 735. Post glyconeum exstat Suppl. 101 = 108; post pherecrateum in medio systemate ib. 578 = 586. Saepissime autem antecedentibus binis pherecrateis systemata claudit: Suppl. 641 = 655; 665 = 676; 686 = 696; Ag. 383 = 401; 419 = 435; 454 = 473; et sequente jambica dipodia in medio systemate hic exstat versus Pers. 571 = 579

S. *ἔρρουσι· στένε καὶ δακνάζου, βαρὺ δ' ἀμβόασον,*
A. *πενθεῖ δ' ἄνδρα δόμος στερηθείς· τοκέες δ' ἄπαιδες.*

At dixeris hoc loco interpunctionis in utraque stropha rationem tali discriptioni obesse. Nulla enim res magis aures offendere videtur quam initium novi ordinis rhythmici ab ultima sententiae syllaba exortum. Qualis grammatici et metrici ordinis repugnantia cum aliena sit a versibus non syncope sed legitima tantum caesura in duas partes divisis multo magis abhorrere putanda est a versibus in quibus omissa thesi evidentius a priore parte posterior disjungitur quam vulgata caesura fieri potest. Neque quisquam contendet sententiarum dispositionem, ut qualemcunque versum fingam, ferendam esse talem:

Molle cupidineis nec inexpugnabile telis
Est in pectoribus cor. Satis uror ego.

Atque eaedem dubitationes Christium moverunt ut in Euripidis Oreste vs. 816 = 828 hanc versuum praeferret discriptionem

S. *ὅθεν φόνῳ φόνος ἐξαμείβων*
δι' αἵματος οὐ προλείπει
δισσοῖσιν Ἀτρείδαις.

A. *κτείνων σὺ ματέρα, μὴ πατρῴαν*
τιμῶν χάριν ἐξανάψῃ
δύσκλειαν ἐς ἀεί,

cum alii versum duobus glyconeis secundis quorum priori anacrusis praefixa esset et pherecrateo secundo constare voluissent. Attamen in Euripidis verbis minime tam graves sententiarum incisiones insunt quam in eis quae ex Aeschyli fabula attulimus. Neque defuerunt qui hunc locum ita constituerent ut glyconeum hypercatalectum qui vocatur a sequentibus disjungerent. Sed similitudo eorum versuum quos ex secundo Supplicum et primo Agamemnonis stasimo attuli talem discriptionem nume-

rorum dissuadet. In his enim cum octies post primam pherecratei syllabam vocabulum finiatur tamen nonnulli versus alii dispositioni atque ea est quam nos probavimus obstant. Nam his antistrophae versibus

τοιγάρτοι καθαροῖσι βωμοῖς θεοὺς ἀρέσονται —
ᾔσχυνε ξενίαν τράπεζαν κλοπαῖσι γυναικός —
τεύχη καὶ σποδὸς εἰς ἑκάστου δόμους ἀφικνεῖται

hi respondent strophici

αἰδοῦνται δ' ἱκέτας Διός, ποίμναν τάνδ' ἀμέγαρτον —
λακτίσαντι μέγαν Δίκας βωμὸν εἰς ἀφάνειαν —
ὀμμάτων δ' ἐν ἀχηνίαις ἔρρει πᾶσ' Ἀφροδίτα.

Quo apparet talem verborum distributionem Aeschylum non prorsus respuisse. Et supra quidem vidimus eum in Agamemnonis parodo jambicam dipodiam cum dactylis conjunxisse vocabulis ita continuatis ut post primam dactylici ordinis syllabam incisio fieret. Verum etiam gravioribus interpunctionibus primam post syncopen syllabam a sequentibus dirimere poeta minime verebatur. Quae res cum nostris auribus haud dubie improbetur quotquot in promptu sunt exempla e variis syncopatorum versuum generibus petita exscribere non alienum erit. Ag. 1534; Sept. 943; Suppl. 570; Cho. 419; Eum. 1019; Suppl. 1070; 375:

τὸν αἱματηρόν· ψακὰς δὲ λήγει —
θηκτὸς σίδαρος· πικρὸς δὲ χρημάτων —
τὰν μὲν βοός, τὰ δ' αὖ γυναικός· τέρας δ' ἐθάμβουν —
τεκομένων; πάρεστι σαίνειν, τὰ δ' οὔτι θέλγεται —
Παλλάδος πόλιν νέμοντες· μετοικίαν δ' ἐμὴν —
καὶ κράτος νέμοι γυναιξίν· τὸ βέλτερον κακοῦ —
πᾶν ἐπικραίνεις· ἄγος φυλάσσου.

Manifestum igitur est in Persarum versu de quo quaestio instituta est nihil inesse offensionis.

At nonnulli inter logaoedicos qui in priore aut utraque parte dactylum habent exstant versus dissimiles legitimorum diplasii generis syncopatorum. Suppl. 42 = 50 deinceps hi versus leguntur:

(Δῖον πόρτιν ὑπερπόντιον τιμάορ' ἶνιν)
ἀνθονομούσας προγόνου βοὸς ἐξ ἐπιπνοίας,

quos choriambicis adnumerandos esse prioris versus basis spondiaca indicare videtur. Talem mensuram statuendam esse confidentius assevero in his versibus, qui paullo post sequuntur ib. 60 = 65; 70 = 79; 74 = 83

ξυντίθησι δὲ παιδὸς μόρον ὡς —

δάπτω τὰν ἁπαλὰν Νειλοθερῆ παρειάν

δειμαίνουσα φίλους, τᾶσδε φυγᾶς.

Inter jambicos versus hunc habes logaoedicum Sept. 331 = 343

λαΐδος ὀλλυμένας μιξοθρόου.

In eodem systemate vs. 322 = 334 haec leguntur

S. ὠγυγίαν Ἀΐδᾳ προϊάψαι δορὸς ἄγραν
A. ὠμοδρόπων νομίμων προπάροιθεν διαμεῖψαι.

Quae ut in tripodiam logaoedicam et dimetrum ionicum dividamus et forma antecedentis versus *οἰκτρὸν γὰρ πόλιν ὧδ'* et incisiones verborum suadent.[1]) Notum enim est poetas solere ionicos versus ita formare ut post singulos pedes vocabulum finiatur.

Versus Cho. 319 = 336

S. *σκότῳ φάος ἀντίμοιρον· χάριτες δ' ὁμοίως*
A. *τάφος δ' ἱκέτας δέδεκται φυγάδας δ' ὁμοίως*

potest is quidem post priorem bacchium dividi; sed cum ceteri hujus carminis versus tetrametri ambitum expleant concinnitas membrorum tam brevibus immixtis versibus nimis turbaretur. Defenditur praeterea versus similitudine ejus qui est Sept. 752 = 760

S. *πατροκτόνον Οἰδιπόδαν ὅστε ματρὸς ἁγνὰν*
A. *τρίχαλον ὃ καὶ περὶ πρύμναν πόλεως καχλάζει.*

Hos omnes quos modo attuli versus eo potissimum a diplasii generis syncopatis differre apparet, quod vel ipsi vel eorum partes syncope discissae dipodicae mensurae aptari non possunt. Quod cur in logaoedicis minus quam in trochaicis aut jambicis offensioni esse putarem supra ostendi. Consentaneum praeterea est latius patere eorum versuum logaoedicorum licentiam qui jam in priore parte dactylum habent quam eorum qui ab ordine diplasio incohantur.

VI.

Accedo ad versuum pluribus syncopis mutilorum enumerationem. Atque bis quidem syncopatorum versuum brevissima est forma jambici dimetri acatalecti post primam et secundam arsim imminuti. Sic enim tales versus

διαλλακτῆρι δ' οὐκ

metiendos esse eo perspicitur quod cum eisdem versibus sociari solent cum quibus dimetros semel syncopatos jugari demonstravimus. Cum integro dimetro jambico talis versus conjunctus est Pers. 281 = 287; cum trochaico duo Sept. 898 = 908; cum trimetris bis syncopatis singuli Suppl. 95 = 103; bini denique inter dimetros semel syncopatos et trimetros bis syncopatos positi sunt Ag. 374 = 392.

Eorundem pedum tonen in trimetro jambico acatalecto et catalectico poeta admisit

ἀχείμαντόν μ' ἔπεμπε σὺν πνοαῖς

παλιμμήκη χρόνον τιθεῖσαι

Tales versus primam potissimum aut ultimam sedem in systematis obtinent. In initio enim systematum singuli positi sunt Cho. 405 = 418; Sept. 750 = 758; 766 = 772; 895 = 907; Suppl. 776 = 784; 538 = 547; 556 = 565; 698 = 704; in fine Ag. 183 = 191; 1461 = 1548; 1536 = 1566; Sept. 127 = 149; 332 = 344; 356 = 368; Cho. 630 = 638; Pers. 1025 = 1037; 1059 = 1065; bini in initio systematum Ag. 367 = 385; Suppl. 590 = 595; totidem dochmio ut videtur interjecto Sept. 938 = 951. Mediis systematis diplasii aut logaoedici generis bini inserti sunt Ag. 376 = 394; singuli Sept. 1000 = 1003;

1) cf. supra pag. 3.

Suppl. 136 = 146; Ag. 196 = 209; 741 = 754; Ch. 348 = 365; Eum. 384 = 392 *σεμναὶ καὶ δυσπαρήγοροι βροτοῖς* ubi omnes quae mihi in manibus sunt editiones falsam discriptionem exhibent; ib. 555 = 563; cum dochmiis conjuncti sunt terni deinceps Suppl. 372 = 383; singuli Sept. 119 = 139; 123 = 144; Suppl. 682 = 693.

Acatalectus trimeter jambicus etiam post secundam et quartam arsim syncopari solebat

ποῖον δ' ἀμείψεσθε γαίας πέδον.

Hac quoque forma initio plerumque systematum poeta usus est: Sept. 287 = 304; Ag. 238 = 247; 404 = 420; 438 = 456; Cho. 75; eandem in fine posuit Eum. 147 = 154; et in mediis systematis Ag. 370 = 389; Suppl. 96 = 104.

Trochaici trimetri post primam et secundam arsim syncopati exemplum exstare videtur Eum. 918 = 940; 967 = 987

τὰν καὶ Ζεὺς ὁ παγκρατὴς Ἄρης

nisi potius Dindorfii probaveris sententiam qui duas productas quae versum incipiunt basim esse voluit. Praeterea ejus formae versus exstat Eum. 920 = 942: *Ἑλλάνων ἄγαλμα δαιμόνων.*

At talis versus (Cho. 586 = 596)

πόντιαί τ' ἀγκάλαι κνωδάλων

utrum creticus sit trimeter an trochaicus plerisque locis dijudicari nequit. Creticam quidem sive paeonicam mensuram haud dubie flagitat ubicumque pro una producta duae breves positae sunt ut Ag. 1453 = 1473 *πολέα τλάντος γυναικὸς διαί;* nam solutiones in pedibus syncopae propinquis poetam respuisse supra demonstratum est. Verba autem quae exstant Cho. 870 *ἔα ἔα μάλα, πῶς ἔχει; πῶς κέκρανται δόμοις* malim in unum versum conjungere qui constet duobus dochmiis et cretico.

Tetrameter jambicus ab Aeschylo syncopatus est post primam et quartam, secundam et quartam, secundam et sextam, quartam et sextam arsim

τέτυκται μέγαν τελεσθέντα φωτὸς ὄλβον

ἔβαλλ' ἕκαστον θυτήρων ἀπ' ὄμματος βέλει

ἀγανόρειος· κατεῖδον δὲ πῆμ' ἄελπτον

ὕδωρ τε Διρκαῖον εὐτραφέστατον πωμάτων

ἄταν τιθεὶς, τὸν αἴτιον δ' ἐξαπολλὺς μόρον

Ag. 405 = 421; 740 = 751; 240 = 249; Sept. 835 = 844; 876 = 882; Pers. 1015 = 1026; Sept. 290 = 307; 889 = 901; Cho. 825 = 837.

Trochaicus tetrameter post secundam et quartam arsim syncopatus

ἀνδροκμῆτας δ' ἀώρους ἀπεννέπω τύχας

cum versibus diplasii vel logaoedici generis conjunctus est Ag. 764 = 771; (983.985) = 995.997; Eum. 958 = 978; Pers. 126 = 133; cum creticis Eum. 326 = 310 et fortasse etiam ib. 491 = 500; Cho. 585 = 595. Semel in trochaico versu ejusdem ambitus quarta et sexta arses tono productae sunt Suppl. 1066 = 1072

καὶ δίκα δίκας ἕπεσθαι ξὺν εὐχαῖς ἐμαῖς.

Jambicus tetrameter ter syncopatus

ὅσων ἵησιν Ποσειδὰν ὁ γαιάοχος

inter jambicos versus invenitur Ag. 243 = 252; Sept. 291 = 310. At inter dochmios eundem versum jambo dochmio dipodia cretica constare judicabimus. [1]) Semel post primam secundam quartam arsim omissae sunt theses Cho. 26 = 35

δι' αἰῶνος δ' ἰυγμοῖσι βόσκεται κέαρ.

Logaoedici versus ejusdem ambitus bis syncopati unum inveni exemplum Sept. 328 = 340

ἄλλος δ' ἄλλον ἄγει, φονεύει, τὰ δὲ καὶ πυρφορεῖ

qui versus videtur duobus glyconeis constare altero quidem pleno altero syncopato.

Pentametrorum bis syncopatorum legitimae sunt formae Eum. 494 = 502; Ag. 683 = 700; Pers. 574 = 582

πάντας ἤδη τόδ' ἔργον εὐχερείᾳ συναρμόσει βροτούς

μή τις ὅντιν' οὐχ ὁρῶμεν προνοίαισι τοῦ πεπρωμένου

ὀᾶ τεῖνε δὲ δυσβάϋκτον βοᾶτιν τάλαιναν αὐδάν,

